



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Modi LX Sacrae Orationis variè Formandæ

Kojałowicz, Kazimierz Wijuk

Antverpiae, 1668

Modus LV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69292)

impios pius? Hic quoque eorum flammis arfisset, nisi miraculo eductus fuisset. Proverb. 21. *Vir qui erravit à via doctrina, in catu Gigantum commorabitur* facile de via deflectitur, sed nimis arduum, Gigantum insidiantium, manus evadere, *Juravi*, inquit, Dominus Psal. 94. *In ira mea, si introibunt in requiem meam.* Vis causam iræ. *Semper hi, errant corde.* Non est seria confessio, non vera pœnitentia, ubi facile de via deflectitur. Erratur corde, & Dei ira concitatur. Prov. 26. *Dicit piger, leo est in via.* Pigri hæc vox, nemini audienda. Neminem hic leo devoravit, qui in via perrexit, sed de eo scriptum *Conculcabis leonem & draconem*, dummodo pergere audeas: at, est alius leo, 1. Pet. 5. designatus, qui *circuit quærens quem devoret*: in hujus fauces cadunt, qui de via errant, quemadmodum incidit apud Cantiprat lib. 2. c. 30. qui post confessionem factam, in molitiem ipso die Paschatis revolutus, repente exclamavit. *Vindicta Dei, super me, vindicta Dei super me*, atque in his vocibus expiravit. Surgamus igitur, & Paulum imitemur dicentem, ad Philip. 3. *Sequor autem, si quomodo comprehendam, sicut & comprehensus sum à CHRISTO JESU fratres, ego me non arbitror comprehendisse.* Unum autem, quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea verò, quæ sunt priora extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis DEI in CHRISTO JESU.

MODUS LV.

A comparatione similium, dissimilium, Parium, impa-

imparium, adeoque contrariorum sive unum cum uno, sive cum pluribus compares. Ut hâc ratione facile in oratione procedatur, seliguntur aliquot rationes, membra, similitudines, paritates, aut disparitates, secundum quas, res cum re confertur. E. g. Dominica 14. Pentec. super illud. *Nemo potest duobus Dominis servire*, posset institui comparatio disparium Dominiorum Dei, & mundi de qua ut sciant *distantiam servitutis meæ, & servitutis Regni terrarum* ait Dominus 7. Paral. 17. & Dominica V. post Pentec. Ira, tribus septa terramentis, iudicii, consilii, gehennæ, posset comparari, leoni triplicibus ligato vinculis. Multo magis ex comparationes, currunt in laudibus sanctorum, ut si S. Joannem Evangelistam compares, Aquilæ volanti, per ardua, cum Christum sequitur, per præcipitia cum gentibus & Peccatoribus prædicat, per aëra, cum Divinitatem Christi explicat, In principio erat verbum &c.

P R A X I S.

In Festo Inventionis S. Crucis.

Sicut exaltavit Moyses, serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis. Joan. 3.

Accessus & Propositio. Eremus Israëlitica, & Calvaria, ad diversa hodie rapiunt animum, spectacula. Ostentat eremus serpentem, de quo dictum. *Sicut Moyses. &c.* Ostentat Calvaria triumphalem crucem, cui hodiernus dies colendæ facer est, & quam ponè D. Nazian. exclamat. *Ecce lignum, contra lignum, & manus, contra manum* in Apolog.

Apolog. *Qua dextra extensa sunt, contra eas, quae clavis affixa, adversus remissas: quae fines terra moderantur, contra eam, quae Adamum eiecerat. Cedat tandem figura rei, & typus veritati, & nos Calvariam potius, sed jam triumphantem conscendamus; ut lignum crucis, contra lignum paradisiacum erectum, noscamus atque veneremur.*

Confirmatio, à comparatione opposita, ligni Paradisiaci & ligni S. Crucis.

Ecce igitur. *Lignum contra lignum. Lignum benedictionis, contra lignum maledictionis. Nimirum ad Galat. 3. Redemit nos in cruce CHRISTUS, de maledicto, factus maledictum. In figura maledictus, pergit Ambros. an veritate autem, qui totius mundi peccata deberet. 4. Reg. 6. posteaquam cecidit securis, uni ex filiis Prophetarum, Hem, hem inquit, & hoc ipsum mutuo acceperam. Pracidit ergo Eliseus lignum & misit illuc, natavitq; ferrum, & ait tolle. Vide gravissimum ferrum, ligno ex aqua attractum, & cogita, homines pondere peccati & maledictionis meritos, per lignum benedictos ac salvatos. Quid manifestius hujus ligni sacramento, monet Tertul. adversus Judæos cap. 13. quod duritia hujus seculi, mersa in profundo erroris, à ligno Christi, id est Passionis ejus, in Baptismo liberatur. Gen 48. Benedicturus filios Joseph, Ephraimo & Manasse, dextram posuit super minorem, & super majorem sinistram, efformans manibus signum Crucis. A signo itaque Crucis benedictio utriusque venit, quamvis major; obtigerit minori. Gaudet jam*

jam

jam Hebræus benedictione, gaudet & gentilis ma-
 jore: uterque à cruce accepta. Et ubi crux non be-
 nedicens, aut non benedicta. *In purpuris cruce,*
in diadematibus crux in armis crux, in toto orbe crux
& super solem fulget crux, ait D. Chrysol. adversus
 gentes. *Ecce lignum benedictionis, contra lignum*
maledictionis. Ecce lignum contra lignum, lignum sa-
lutiferum, contra lignum mortiferum. 1. Quia
hoc lignum est clavis cæli. Crux clausas cæli januas
aperuit, ait Chrysol. atque ita aperuit, ut nunquam
 claudantur, quod vidit Johannes in Apoc. cap. 21
 Præclarè id notat, auctor imperfecti operis homil.
 4. in c. 3. Matth. *Ecce Baptisato quidem Christo cæli*
aperti sunt, ei tantum; postquam verò Tyrannum resi-
cit per crucem, & resurgens ab Angelis portabatur in
cælum; videntes jam portatores, quod nunquam essent
cæli claudendi, quia non erant necessariae portæ calo
claudendo, ideò non dicunt, Aperite portas, & introi-
bit Rex gloria, jam enim erant apertæ; sed tollite por-
tas, Principes vestras & c. Prædictum olim. Ero
mors tua ò mors. Osee 13. jam per crucem impletum
Tu CHRISTE, *mundum ac terram extensis mani-*
bus, tu caeleste sustentas imperium. Tuis immortalibus
adhaeret humeris, salus nostra. Tu Domine aeternæ vi-
tae bajulas signum. Hæc sunt crucis cornua, quibus o-
mnia & sublevantur pariter, & continentur. His
cornibus bene hominum nititur vita, erat piè ac do-
ctè, Julius Fir. de misteriis Prophet. cap. 21. & c.

Ecce lignum adversus lignum. Lignum quod est
trophæum id de Diabolo, adversus lignum quod erat
trophæum Diaboli, ut qui in ligno vincebat canit

Eccle-

Ecclesia, in ligno quoque vinceretur. Esther 7. Ammon suspensus in patibulo, quod paraverat Mardochæo D. Leo Ser. 10 de Passione. Exaltatus in ligno retorsit mortem, in mortis authorem. Clavi illi, Diabolum perpetuis fixere vulneribus. Orige, homil. 8. in Joan. Visibiliter quidem, filius Dei in carne crucifixus est, invisibiliter vero, Diabolus cum principibus suis in ea cruce affixus est. Cum cæna suprema ageretur, Diabolus immisit in cor Judæ, ut Christum traderet Judæis, Joan. 13. cum vero iudex contra Christum, ferret sententiam mortis, Matt. 27. misit ad eum uxor ejus, dicens. Nil tibi & iusto illi. Notant causam D. Ign. Martyr, epist. ad Polycarp. Cū paranda esset crux Diabolus tumultuabatur & pœnitentiã immisit proditori & mulierculam turbavit in somnis, & ut à crucifixione cessaret, inducere moliebatur Suam ipsius perniciem sentiebat. Ecce lignū adversus lignū. Ecce trophæū insigne de Diabolo. Gaudeamus igitur ac triumphemus in hoc signo carnem, in hoc mundum, in hoc dæmonem, in hoc omnes hostes possumus triumphare. Julianus Apostata ut refert D. Nazianzen. territus monstris, magicis, hoc signo in fronte edicto, monstra fugavit: Judæus paribus agitatus territamentis, specul. Exem. illas voces hostium audivit, vas vacuum, sed signatum. An ergo in quo signo ipsi triumphant increduli, non potius triumphabunt fideles? Curandum tamen, ne simus vasa vacua. Regio signo, thesaurus ditissimus signatur. Regium signum crux est: Christianus, ut sit thesaurus, gratiæ & virtutum, curare debet. Sic fiet, ut lignum

gnum

gnum hoc Crucis, fiat nobis lignum benedictionis, salutis, & nobilis victorię trophæum.



MODUS LVI.

Oppositus, naturali rerum dispositioni, quando rem, non eo ordine, prosequimur, quo gesta est: sed aut ab imis inchoamus, & procedimus ad superiora, aut media, summa, ac infima ordine certo, & ad propositum conducente permiscemus. Utimur hoc modo potissimum, in genere exorativò, vel vitæ, mortisque, acta prosequendo; vel virtutum laudes. Nam sicut à vita recte ad mortem descenditur, ita à morte ad vitam rectè ascenditur, cum, prius proposita vita tanquam causa laudabilis mortis, inde ad ejus laudes proceditur: Similiter in virtutibus, virtus aliqua specialiter relucens assumitur, & ad eam aliæ, tanquam causæ antecedentes, aut effectus consequentes revocantur: ut, si laudes alicujus sancti, humilitatem: & ad eam referas, sui contemptum, Divinæque Majestatis eximiam cognitionem, sine quibus, virtus illa consistere non potest. Hic ipse nodusnectendi, & variandi summa cum infimis, ingeniosius & facilius cedit, si ipsa ratio nectendi, alicui insuper auctoritati, aut historiæ, aut symbolo, aut scripturæ adnectatur. E. g. laudaturus, D. Casimiri eximiam castitatem, imaginem ejus sacram respiciens: in qua pingitur, liliū altera manu, aliâ crucifixum gestans, laudata inde ex occasione lili castitate, transferes orationem ad